

## CUR LATINE DOCERE?

Oratiuncula a Gualterio Redmond in *Conventiculo Latino* (a Terentio Tunberg instituto) die 26 mensis Julii anno 2010 habita (apud Universitatem Kentuckiam, Lexingtoniae, Statibus Foederatis Americae)

Primum omnium praeclaro **Conventiculo Latino** gratias agere volo sescentas, quod mihi occasionem dedit oratiunculae habendae coram vobis. Hoc inceptum mihi videtur valde tempestivum ac momentosum, nonnulli enim latinistae sunt hodie qui *activum* linguae Latinae usum recuperare velint: non solum Latine legere, sed et loqui, non ea explorare tantum quae alii Latine scripserunt, sed res *suas proprias* quoque Latine exprimere aliisque communicare.

Titulus oratiunculae meae est *cur Latine docere?* Cum quaero “cur Latine docere?” non dico “Latinum sermonem docere” sed “sermone Latino”: non Latinitatem alia lingua praelegere sed Latine in aulis scholaribus loqui, libris scholaribus uti Latine conscriptis, relationes, immo examina, Latine facere. Optima exempla in Conventiculo jam videntur: professores scilicet qui jamdudum lingua Latina docent.

Ego equidem *philosophiam* Latine docui, et in animo habeo vobis explanare quare sermone Latino uti voluerim in philosophia docenda atque in scriptis de re philosophica componendis. Quorsum quidem Latine docere, cum nostrae linguae patriae certe magis idoneae sint ad nostra proposita didascalica assequenda? Nam sermo Latinus vocibus caret quarum indigemus: non solum nominibus rerum et institutorum quae Romani non habebant (puta “computatrum”, “Interrete”...), sed praecipue verbis pro notionibus “abstractis” in nostris linguis communiter adhibitis. Hoc igitur consilium sermone Latino in scholis utendi, nonne est nisi vanum rerum antiquarum desiderium, somnium quod attingi non potest?

Respondebo meipsum in partes dividendo. Ego enim, sicut et vos, sum *multiplex*: non solum sum homo simpliciter, sed etiam *culturā* sum homo *Europaeus*, “Occidentalis”, et *professione* sum *philosophus*, et *religione* sum *Catholicus*. Volui itaque Latine docere, primo, ut *homo Europaeus*, secundo ut *homo philosophus*, tertio ut *homo Catholicus*. Tres homines qui sum, seriatim tractabo.

### Secunda sermonis Latini mors

Quare igitur ut *homo Europaeus* velim Latine docere? Responsio est sat manifesta: pars est mei *patrimonii culturalis*. Namque per plusquam duo millenia, lingua Latina vexit ad me meam culturam-- non solum Antiquitatem Graeco-Romanam, sed et posteriorem cultum Europaeum exinde, Christianis adjuvantibus, evolutum. Latine loquentes mihi tradiderunt historiam meorum atavorum, meam poesim ac theatrum, artem atque architecturam, jurisprudentiam, mathesim, (saltem in germine,) meas scientias naturales meamque musicam. Docuerunt me denique meam *humanitatem*. Rogandum igitur non est tantum utrum vel cur mihi liceat docere sermone Latino, sed, cum Latinum jam sit pars ejus quod sum, *quidni?*

Attamen haec “Latina mei pars”, dicetis, *mortua est*. Immo si Nicholaus Ostler credendus sit, qui in sua *Historia linguarum humanarum* censuit sermonem Latinum

mortuum esse non semel sed *bis*. Titulus enim capituli noni est “Altera Latini mors” (similia scripsit in sua *Biographia sermonis Latini*).<sup>1</sup>

Lingua Latina primum moriebatur secundo dimidio primi millenii post Christum natum, quando populi desinebant Latine loqui et ex Latino exoriebantur romanicae linguae (Italica, Gallica, Hispanica, Cataloniensis...). Interdum autem, et postea, *docti* pergebant sermone Latino uti in mentis operibus et laboribus-- ipsi qui nobis nostram humanitatem transmississent.

Sermo Latinus mortuus est secundo, inquit Ostler, *tempore Renatarum Litterarum* circa annum 1500, quando *ipsi docti* Latinum omittebant, malentes suos sermones nationales in disputationibus. Transitus ad linguas vernaculas fiebat paulatim et idcirco *difficulter* quod periti illius temporis eandem habebant difficultatem ac nos hodie, sed *conversim*. Nos enim caremos verbis Latinis quae nostrae linguae patriae possident; oportebat autem illos verba Anglica, Germanica... quaerere pro ingenti copia verborum scientificorum quam eruditi per mille annorum sermone Latino composuerant.

Linguae tamen nationales non cunctabantur quin potestatem linguae Latinae assequerentur, immo excederent; secundum Ostler, *uno saeculo*. Et exempla attulit: ad septimum saeculi XVII decennium plures libri Gallice scripti typis edebantur quam Latine, et novissimus liber maximi ponderis Latine exaratus fuit *Principia mathematica* Newtonis anno 1687 editus.

Hoc certe paradoxum in se habet: philologi temporis Renatarum Litterarum, quare dicuntur sermonem Latinum interficisse? Illi humanistae, inquam, qui Latinitatem exaltabant, litteras Latinas ad caelum extollebant. Responsio Nicholai Ostler sic fere est: fuit *osculum mortis*! Sermo namque Latinus disci potest ad duo proposita assequenda: ad res *legendas* aliorum hominum et ad res nostras *communicandas*. Est profecto hic *usus activus* id quod amissum est. Usus sermonis Latini fiebat *passivus* atque ad praeteritum versus, non in posterum.

Adde quod ipsa Latinitas deminuta vel “contracta” est tribus modis. Primo in *bibliotheca*; Latinum enim docebatur ad legendum receptum scriptorum optimorum canonem “Classicum”. Secundo, in *vocabulis*; nam uno ictu thesaurus verborum technicorum per millenium adquisitus amissus est (et derisus a humanistis velut Johanne Ludovico Vives). Inter verba prohibita est “possibile”; mihi autem *impossibile* fuisset logicam modalem docere si “possibilitatem” dicere non licuisset, item “necessitatem”, “contingentiam”. Tertio in *stilo*, ubi ardor Ciceronianus, ab ipso Erasmo reprehensus, usum sermonis Latini difficiliorem reddidit (Erasmo minime placebat logica Vives).

Ex his omnibus provenit ut lingua Latina cum linguis nationalibus contendere nonjam potuerit. Cur denique volui sermonem Latinum adhibere in docendo, ejus duplice morte no obstante? Responsio simplex: amissio linguae Latinae est *amissio culturalis*.

### Turris Babylonica philosophica

<sup>1</sup> *Empires of the Word/ A Language History of the World* (Novi Eboraci: Harper, 2006) et *Ad Infinitum/ A Biography of Latin*, (Novi Eboraci: Walker and Co., 2007).

Secundo, jus asserere possum Latine docendi, ut *homo philosophus*. At vero nolim putetis *vos* philosophos *non* esse-- omnes quidem philosophi sumus, utrum officio fungamur annon, nam omnes visionem mundi habemus locumque hominis recognoscimus in eo. At non solum philosophiam generalem habemus, verum *specialem*. Nam ad decursum philosophicum pertinemos quae viginti sex saecula in praeteritum regreditur usque ad Graecos cujus philosophia exinde elaborabatur sermone Latino, primo a Romanis (utputa a Cicerone et Seneca), deinde a primis doctis Christianis (Tertulliano, Augustino, Boethio, Johanne Eriugena...), deinde, philosophia Musulmana Judaeaque recepta, a scholasticis Medii Aevi (Anselmo, Abelardo, Thoma Aquinate, Bonaventura, Scoto, Ochamo...), atque a permultis tempore Renatarum Litterarum (Cajetano, Suarezio...)-- nonnulli denique philosophi *Moderni* aliqua saltem opera Latine composuerunt (Hobbes, Cartesius, Spinoza, Leibniz, Kant...).

Amissio sermonis Latini, mirabile dictu, *ipsam philosophiam* affecit! Tore Janson, in suo libro *Naturalis Historia Linguae Latinae* mentionem fecit de pernota fissura in philosophia nostri temporis inter philosophos Britanno-Americanos (“Analyticos”) et philosophos Continentales (“Phaenomenologos”).<sup>2</sup> Diversitas linguarum, inquit, hanc rimam aggravavit atque exacerbavit. Abyssus quidem intransibilis videtur hiare inter utrosque philosophos, immo hostilitas; Continentales enim vituperant Analyticos ut “positivistas”, Analytici vero putant Continentales (maxime “Post-Modernos”) plane delirare.

Haec scissura philosophica revera haud recens est, nam orta erat saeculo xvii, et quidem *tempore Renatarum Litterarum*-- eo ipso tempore quando docti sermonem Latinum jam omittebant. Philosophi tunc bipartiti erant in Rationalistas (similes Phaenomenologos) --qui curam habebant “mentis”-- et (2) Empiristas (similes Analyticos)-- qui “experientiam” in promptu ponebant.

Haec bipartitio inter Analyticos-vel-Empiristas et Phaenomenologos-vel-Rationalistas tum geographica fuit (illos scilicet Anglia ac Status Foederati laboraverunt, hos in Continente Europaea), tum *linguistica* (Analytici linguam Anglicam adhibere solent, Phaenomenologi vero Gallicam, Germanicam, Italicam aliasque).

Ita veruntamen non erat Aevo Medio, quando philosophi Christiani eandem adhibebant linguam: Latinam. Discrepantiae nimirum erant inter scholas, rixae quoque acres; immo “odium theologicum”. Unum autem: saltem philosophi Aetatis Mediae aliorum opera *legere poterant*-- id quod hodie nequaquam est verum. Nec existebat fissura geographica nec sermocinalis, cogitantes enim Aevi Medii erant magis cosmopolitae (velut Sanctus Anselmus: Italiae natus, abbas monasterii Gallici factus, demum Archiepiscopus Cantuariensis electus).

Ista Babylonica Turris philosophica sat funesta etiamnunc esse mihi videtur. Tribus equidem modis philosophandi usus sum; non solum phaenomenologo atque analytico, sed etiam “praemoderno”, nam in primo curriculo meo philosophiam Graecam et Scholasticam didici (et quidem sermone Latino!). Et hoc expertus scio: triplicem philosophandi rationem nullo negotio exprimere possum *Latine*. Quinimmo, mihi cordi fuit coadunare has philosophias, fundere in unum-- reperire fortasse quandam philosophiam perennem.

<sup>2</sup> *A Natural History of Latin*, (Oxonii, 2004).

### Tertia sermonis Latini mors

Cur demum Latine doceo ut *homo Catholicus*? (Multa quae dixero patet alios quoque Christianos dicere posse.) Nicholaus Ostler, cum censeret doctos ex tempore Renatarum Litterarum Linguam Latinam omittere, non recte iudicavit usquequaque, nam lingua pergebat esse publica lingua Ecclesiae Occidentalis usque ad medium saeculum XX-- quando mortua est *ter*.

Ut Catholicus Latinum propterea adhibeo quod fuit sermo Ecclesiae meae per duo millenia. Intima pars meae culturae Occidentalis est Judaea-Christiana, quae *Latine* mihi tradita est. Latine loquentes docuerunt me mores cogitandi atque agendi: meam scilicet mundivisionem Christianam meamque anthropologiam atque ethicen.

Etenim prima lingua Ecclesiae erat Aramaica, deinde Graeca (qua Novum Testamentum scriptum est) postremo Latina. Mox evolvebatur “dialectus Christiana” (ut dicitur) Africae, Romae alibique, valde per usus Graecos affecta, quae in usu liturgico atque academico pergebat in Ecclesia Occidentali.

Cultura Catholica in monasteriis magna ex parte alita, est, et quidem lingua Latina. Latine monachi et moniales Scripturas legebant, Latine missam audiebant atque officium divinum canebant, Latine conservabant traditiones theologicas, mysticas, historicas, litterarias (“liber scholaris” nobis Christinis suppeditat: 221 tomi collectionis *Patres Latini* a Migne editae). Taceo monachos ipsa Antiquitatis Classicae opera nobis transmisisse, nostrumque systema institutorium Latine evolvisse in Scholis monasticis et cathedralibus, dein ex saeculo XIII apud universitates Europaeas.

*Ter*, pro dolor, Sermo Latinus mortua est: nempe in Ecclesia Catholica. Recens ejus historia, quod linguam attinet, in tria tempora dividi licet. Primo dimidio saeculi XX lingua Latina vigeat in quadam renata cultura Catholica. Altero autem dimidio saeculi haec floritio subito dirempta est, una cum lingua Latina-- ac si Secundum Concilium Vaticanum (1962-1965) linguam Latinam in perpetuum exclusisset ab usu ecclesiastico.

At signa certae recuperationis culturalis apud Catholicos recentius non desunt --qui novatrix motus est tertium tempus-- a qua haud abest spes sermonis Latini restaurandi. Potest profecto fieri, dum plures pluresque laici ac clerici divitias liturgiae translaticiae avent ac suam propriam culturam vindicunt, ut suam linguam Latinam quoque restituere velint. Missa quidem auditur ubique Latine celebrata, nondum tamen adhibetur sermo Latinus in docendo et componendo, quemadmodum ante medium saeculum XX mos erat in Ecclesia.<sup>3</sup>

Desiderium linguae Latinae est modicum: ut Missa interdum sed assidue celebretur Latine, ut docti qui velint praelegant componantque Latine. Hoc obiter addendum est: ne putetur “Neolatinum” nedum “Latinum Medii Aevi” a lingua antiqua radicitus differre. “Radix” enim sermonis (vocabula fundamentalia, morphosyntaxis, grammatica, aliquatenus et stilus) inter varias “dialectos” (quae et inter auctores “Classicos” haud aberant) fere eadem mansit et manebit.

---

<sup>3</sup> Ego vero nonnullum successum jam habui in academico uso sermonis Latini restaurando: scholas de philosophia in quinque terris recitavi duodecies, undecim commentarios in ephemeribus sex terrarum edidi.

Hoc denique summa est: *una* ratio quae hominem “Occidentalem”, hominem philosophum, hominem Catholicum adducit ut sermoni Latino incumbat *haud est litteris vel rebus Romanis studere*. Cura mea et ratio *praecipua* in sermone Latino versandi fuit “personalis”; namque in mundivisione mea permanere volui *sermocinaliter* (ut philosophi Medii Aevi dicebant); eandemque *plures* habituros esse suspicor curam. Ostler enim monuit: “lingua amissa, amittitur totus cogitationis mundus”, et Ludovicus Wittgenstein:

fines mei sermonis fines sunt tmei mundi.